

indicat. Huiusmodi autem hepar quantum faciat ad replendū caput, nemini est dubium, cū semper excitet vapores, qui translati ad cerebrū, augment illam materiā in cerebro. Quia in habētibus sym-  
bolum, &c. Ventriculus quoq; frigidus cruditas multas multiplicauit, quæ etiam ad capitū replectionem contulerūt. Hæ igitur sunt causæ, quæ in corpore sunt, & effecerunt materiam illam im-  
mediatam epilepsie. Quibus accesserunt res non naturales, etiam adiuuantes illas internas. Vixtus fuit inordinatisimus, comedit quæcunque obla-  
ta fuerunt: copiosè quoq; legumina, & brassicas ingessit. Accessit etiam ad hæc, quod est venditor calciorū, inde in apotheca delitescit, non exercitatus, & inde plurimum multiplicat materias frigi-  
das & crassas. Aestatis autem tempore exercitatur inordinatisimè, à cibo sumpto multū discurrat: quod, quātum malum sit, facilè patet, quia cibus crudus, nondum coctus rapitur ad venas, distri-  
butur per corpus, inde multa excrementa in cor-  
pore generantur. Item frequentius in sole versa-  
tur, qui exiccat cerebrum, & attrahit materias. In-  
ter extrema duo versatur, uno tēpore nihil pror-  
sus se exercet, alio autem multū, & intempesti-  
uè, quod vtrunque cruditates multiplicat. Cūm igitur habuerit temperaturam huiusmodi multi-  
plicantem excrementa frigida, crassa, & vixtus ra-  
tionem inordinatisimam: non est mirum si inci-  
dit in has affectiones, quas omnes patitur, cūm illæ materiæ crassæ obstruant ventriculos cerebri,  
& iuxta quātitatem opplationis eueniat affectio. D  
Cūm etenim valde obstruit, accidit epilepsia, vt præterito anno, & abhinc duodecimo die ei cōti-  
git. Cūm vero minus, accidit incubus in somno, vt nocte hodierna. Non differt enim incubus ab epilepsia nisi quantitate, & est incubus quasi leuis epilepsia. Sed hic quæreret aliquis: Cūm sit mate-  
ria in capite, cur non efficit epilepsiam, nisi bis? Fie-  
ri potest vt virtus expulsiva fortis, tanquam in iu-  
uene, expellat materias, & inde affectiones non  
sint ortæ: vel fuit pauca materia, quæ expulsa non  
causabat epilepsiam. Sed cū materia auctæ sunt  
tam per essentiam quam per consensum, & ab in-  
terioribus partibus & membris accessit qualitas mala ex crure, inde facta est epilepsia. Item si quæreret, an eius cerebri temperatura sit talis à natu-  
ritate? de hoc nihil est quod dicam certi. Potest esse à natuilitate, potest etiā esse acquisita mala vi-  
uendi ratione. Ut igitur vera veris cōsentiant, pa-  
titur epilepsiam ex materia partim generata in ce-  
rebro, ob debilitatem cerebri, non conficientis ali-  
mentū proprium: partim per cōsensum, à mem-  
bris subiectis demandantibus, vt ventriculo & he-  
pate. Hic etiam dicam pauca de illa aura, quæ as-  
cendit ex pede. Potest ibi materia putrescere, sed Deus scit, si est ibi. Si est, potest putrescere, ex quo pessimi vapores eleuantur, qui sua mala qualitate afficiunt cerebrum, qui etiam illi materiæ additi facilè causant epilepsiam, quia in habentib. sym-  
bolum, &c. Ad curam iam deueniamus. Est hic intemperies cum materia, materiæ debetur eu-  
acuatio, intemperiei alteratio. Sed mala qualitas nō potest alterari, nisi euacuetur materia. Igitur eu-  
acuanda, quia repletioni euacuatio debetur.

A Sed cūm sit nunc tempus hybernū, & simus circa solstium hyemale, ante quæ solstitia medici non iubent purgare, nisi quindecim diebus. Quærerit igitur, an debeat euacuari. Quod euacuari debeat, morbi magnitudo poscit, quia epilepsia omnes sensus hebetat atq; destruit, & epileptici in omnibus actionib. suis fiunt torpidi. Itē si epilepsia firmata fuerit, & perseverauerit, conuertitur aliquando in apoplexiā, & tales apoplexia ferē moriuntur. Quod non debeat euacuari, plures concurrunt causæ. Prima est, quia humores in centro sunt congelati, nō poterunt rectè educī, & extrahi. Si enim extraheremus sanguinem, rarefieret corpus, læderetur facile à frigore: quia is non est unus è principibus, qui calido conclavi, aut calidis vestibus defendi possit à frigore, & ita essent ultima peiora primis. Si autem vertimus nos ad morbi magnitudinem, est necessarium vt euacuemus, licet temporis constitutio contrarium nobis suadēat. Ego inter vtrunq; versans, cūm morbus det inducias, euacuarem eum attenuante viētu, & præscriberem viētu tenuissimum. Ita enim mea sententia fert, nō vt determinē, sed vt meam sententiam retegam, & conscientiæ satisfaciām. Et purgarem cum leuissimè purgantibus, quæ ventriculum parum, & cerebrum euacuarent: vt sunt pillulæ mastichinæ, pillulæ de rhabarbaro, de agarico, de tribus, de aloë. Hæ & ventriculū, & cerebrum purgarent leuissimè: illæ de tribus spiritum cordis reficerent, ob crocum. Terebinthina etiam esset optima: sed quia nonnulli medici, & quidem doctissimi sunt in ea sententia, quod odore suo augeat epilepsiam, & adducunt suas ra-  
tiones, ego de hac re modò non disputo. Parum quidem est, potest omitti terebinthina. Et illis, prius à me dictis, poterit vti bis, vel ter in septi-  
mana. Et cūm continuabit in his purgationib. leuibus per mensē vnū vel duos, eduent tantam quantitatē materiæ, quantum vos queritis vno impetu educere. Item poterimus educere & di-  
uertere per vrinam: darem ad hōc acetum scilli-  
ticum, & oxymel ante cibum. Si haberet mel scili-  
ticum, optimum esset, quia incideret & attenuaret materias, quæ ita incisæ illis pillulis de tribus vel mastichinis, facile educi possint. Ad confor-  
tandum cor bis in mensē mithridaticā confectio-  
nem sumat. Darem etiā baccas iuniperi, dictamnum Cretense, vel garyophyllos ad masticadum:  
moderatè enim exiccent materias cerebri, &  
calefacerent: sed quia cor quoq; cōpatitur in epi-  
leptica affectione per cōsensum, vt nonnulli Me-  
dici epilepsiam magis cordi ascribant, ac illud im-  
mediatè compati dicant. Sed hæc quæstio nondū est deterit: inata apud Medicos, vtrum cor primariò, vel cerebrum afficiatur in epilepsia. Vtcunq;  
fit, certum est cor etiam laborare in epilepsia.  
Inde ad reficiendos spiritus facerem liniamenta o-  
dorata, & per os darem, ante cibum, bis vel ter in septimana diambram, vel diamuscum: ex odore enim reficerentur spiritus. Et recta ratione vixtus quoque eum gubernarem. Et hæc facerem hac hyeme vtrum præseruarem, quæ parua quidem videntur, sed sunt maxima; & in processu tantum materiæ eduent repetita, quantum vestra semel impe-